



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola LIV. Gregorii Papae I. Ad Petrvm Svbdiaconvm. De stipendiis in dedicatione ecclesiae sanctae Mariae dandis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

EPISTOLA LIV.

G R E G O R I I P A P Æ I.

AD PETRVM SVBDIACONVM.

De stipendiis in dedicatione ecclesiæ sanctæ Mariæ
dandis.*Gregorius Petro subdiacono.*

FESTIVITATIBVS sanctorum desiderabiliter insistentes,
 præsentis præceptionis nostræ paginam ad experientiæ
 tuam necesse duximus dirigendam: indicantes ei, orato-
 rium beatæ Mariæ, quod nuper in cella fratrum ædifica-
 tum est, vbi Marinianus abbas præesse dignoscitur, Augu-
 sto mense disposuisse nos adiuuante Domino summopere
 dedicare, quatenus cœpta nostra operante Domino de-
 beant consummari. Sed quia cellæ ipsius tenuitas exigit,
 debere nos in ipsa diei festiuitate concurrere, propterea
 volumus, vt ad celebrandam dedicationem dare debeas
 ad erogandum pauperibus in auro solidos decem, vini
 amphoras triginta, annonæ modios ducentos, olei orcas
 duas, verueces duodecim, gallinas centum, quæ tuis pos-
 fint rationibus postmodum imputari. Statim ergo fieri
 hæc nulla moræ interiectione constitue, vt vota nostra
 Deo auctore celerem fortiantur effectum.

EPISTOLA LV.
 G R E G O R I I P A P Æ I.
 AD SEVERVM EPISCOPVM.

Visitationem Ariminensis ecclesiæ iniungit.

Gregorius Seuero episcopo.

F RATERNITATIS tuæ edicti sumus epistola, in per-
 sona Odeatini de electione episcopatus aliquos con-
 sensisse: quem quoniam nos non concedimus, in eius non
 debent immorari persona. Sed habitatoribus eiusdem ci-
 uitatis edicto, vt si in eadem ecclesia dignum ad hoc opus
 inuenierint, in ipsius cuncti electione declinent. Alioquin
 præsentium tibi portitor personam, de qua ei diximus, in-
 dicabit, in cuius debeat fieri electione decretum. Vosete-
 nim in eiusdem visitatione ecclesiæ estote solertes atque